

vel sine Literis quosdam novimus celebres exercituum ductores  
evalisse, & ex victoriis multis grande sibi nomen peperisse.  
Attamen exploratum simul est, facilius ad hujusmodi laudem  
progressos fuisse Imperatores militiae, quos Literae ornabant, &  
Historia humanae vitae Magistra documentis suis imbuunt. Neque  
enim satis est ad recte regendum bellum nosse, quibus modis  
instruantur acies, castra locentur, arces expugnentur, & qua  
ratione modò ad defendendum, modò ad offendendum arma  
tractentur. Juvat etiam perspecta habere stratagemata varia,  
quibus inclyti Duces in bello sunt usi, quid consilii ceptum in  
subitis casibus fuerit, quibus artibus consilia hostium deprehen-  
sa, seditiones compressae, animus militibus additus, & sexcenta  
ejusmodi alia, quae non a vulgaribus Militaris disciplinae Libris,  
sed ab Historicis, ac celeberrimorum Ducum Vitis petenda  
sunt. Praeterea culturam Ingenii, Morum scientiam, & par-  
tem quamdam Mathematices Imperatorum munus exposcit, ut  
cetera mittam. Quamobrem si in ejusmodi quoque studia, ut  
arbitror, Celitudo tua excurrit, Tibi certe ad militarem glo-  
riam facilis expeditusque erit gressus. Et potissimum quod Pie-  
tate eximiâ, summoque Religionis amore & cultu acta tua,  
moresque moderaris: qua virtute si quisquam careat, qui quæso  
Deum sibi in bello propitium polliceatur? Itaque, SERENIS-  
SIME PRINCEPS, non incongruum duxi, Tibi quoque offer-  
re Antiquitates haec Italicas, quas & Germanas simul appellare  
non injuriâ quisquam possit, postquam a tot Saeculis Italia a Ger-  
manicis Augustis pendet, nostraque publica negotia cum vestris  
commixta sunt. Hinc Tibi facile erit intelligere, quales utrius-  
que Regni Principibus mores olim fuerint, & feligere quae iis  
temporibus probanda aut improbanda fuerint, ut in usum tuum  
meliora cum laude convertas. Perge interea nobilissimam indo-  
lem tuam exemplis tot Majorum tuorum, & praesertim Pater-  
nae Virtutis, diligentius in dies excolere; simulque memineris,  
si ad veram Gloriam, quod persuasum habeo, anhelas, hanc ab  
uno amore & professione Virtutum esse expectandam. Quale-  
cumque vero sit hoc Opus meum, erit excelsae humanitatis  
tuae, illud benigno vultu excipere, veluti perenne obsequii erga  
Te mei pignus.

SERENISSIME PRINCEPS

CELSITUDINIS TUAE

Mutinae XV. Kal. Septembr. Ann. MDCCXL.

*Humillimus, addictiss. & obsequentiss. famulus*  
Ludovicus Antonius Muratorius.